Q. D. B. V.

ILLUSTRISSIMO GYMNASIO GLEIWICENSI

D. XXVIII. M. APRIL. A. D. MDCCCLXVI

SACRA QUINQUAGENALIA CELEBRANTI

PERPETUAM FELICITATEM PRECANTUR
EIUSQUE DIEI LAETITIAM QUA PAR EST OBSERVANTIA

GRATULANTUR

GYMNASII JAURAVIENSIS PRAECEPTORES

INTERPRETE

RICARDO VOLKMANN
GYMNASII DIRECTORE.

ACCEDIT IN BOETHII DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE LIBROS
COMMENTARIOLUM CRITICUM.

JAURAVIAE
TYPIS H. VAILLANT.

Cum mihi recenti admodum in his beatissimis Silesiae regionibus studiorum advenae eamque ob causam parum in historia huius provinciae versato inopinanti ac inscio nuper adlatum esset instare prope diem semisaecularia illustrissimi gymnasii Gleiwicensis celebranda, paratus quidem eram et promptus communem illorum dierum laetitiam nomine gymnasii nostri gratulatoria aliqua scriptione excipere, sed temporis ad elaborandum aliquod opusculum concessi angustiae vetabant me telam, quod aiunt, incohare longam, praesertim obrutum his ipsis diebus et paene oppressum scholastici muneris onere. Iam vero cum novam molestiam mihi illud pararet, quod typographi nostri officina Graecis etiamnunc characteribus destituta est, intra Romanorum litteras consistere coacto nihil restabat, quam ut exiles quasdam adnotatiunculas in Boethii libros de consolatione philosophiae horis subsecivis nuper conscriptas e scrinio meo depromerem, et ad testificandam saltem propensissimam gymnasii Jauraviensis voluntatem gratulatoriae nostrae tabulae subicerem.

Ac ne cui mirum adeoque indignum videatur me in tali scriptore versatum esse, primum dicendum est neminem philologicis studiis vere deditum ullum quod ex antiquitate ad nos pervenerit scriptum contemnere, immo Simonidei illius probe memorem, qui mellificii causa apes vel ad acerbissimos flores devolare ait, interdum vel discendi aliquid vel ingenii acuendi causa etiam ad deteriores scriptores descendere: deinde vero Boethii libros qui de consolatione philosophiae scripti sunt quinqe tam argumenti praestantia quam sermonis puritate prae ceteris ferreae quam dicunt latinitatis scriptis egregie praestare. Nobile enim disputationis argumentum, quod in conspectu mortis sibi elegerat philosophus ille Romanus et fortasse Christianus, siquidem recte hac de re nuper Schenkelius disputavit in actis conventus philologorum Vindobonensis a. 1859 p. 76 sqq., subtiliter et accurate tractavit, in eoque tam Platonicae quam Aristoteliae philosophiae doctum se praebuit alumnum. Dicendi autem genere usus est plano ac dilucido nec inelegante, ut ubivis hominem agnoscas optimorum scriptorum lectione formatum. Accedit quod amoenae vices poeticae et prosae orationis difficultatem spinosioris interdum tractationis iucunditate carminum molliunt et elevant et consolationis lectionem gratiorem reddunt. Verum ut raro aliquis omni ex parte ultra saeculum sapit, ita ne Boethii quidem oratio laudari potest, nisi additur eam multa labantis et citerioris quam dicunt latinitatis vestigia prae se ferre.

Hoc inprimis de verborum delectu valet a Boethio adhibito, quippe quorum magnum numerum ex usu vulgaris sermonis recepisse videatur, cum vel apud priscos tantum poetas, vel recentiores scriptores Apuleium, Ammianum, Symmachum, Sidonium, Cassiodorum inveniantur, denique eos Christianos scriptores, quos minus bene locutos esse constat, Arnobium, Tertullianum, Cyprianum, Augustinum. Huc inter alia referenda sunt nonnulla adiectiva in bilis exeuntia cum adverbiis inde formatis et derivatis substantivis, velut: interminabilis p. 37, 19 editionis Obbarii, p. 111, 9, inviolabiliter p. 59, 13, inevitabiliter p. 102, 35, possibilitas p. 76, 28. 81, 17, incommutabilitas p. 89, 35. Deinde substantiva quaedam abstracta, velut: sufficientia p. 44, 5. 46, 32. 54, 4. 61, 5. 67, 18, insufficientia p. 46, 4, valentia p. 2, 5. 17, 11. 43, 4. 54, 15. 74, 2, participatio p. 60, 25. 63, 15. 83, 2, discretio p. 61, 12, praescientia p. 101, 25, individuitas p. 89, 13, profunditas p. 90, 32, praedestinatio p. 87, 12, adunatio p. 88, 23. Neque melioris notae sunt inter substantiva depositor h. e. is, qui aliquid deponit p. 98, 32, ac deminutiva quaedam, ut rimula, muscula p. 34, 4. inter adiectiva fumificus p. 7, 8, quamquam hoc etiam Ovidius sibi concessit Met. VII, 114, triduanus p. 53, 20, inconsummatus p. 58, 15, mellifluus (melliflui oris Homerus) m. V, 2, 2, transitorius (notione transeuntis, non eius, per quod transitur) p. 111, 17, materialis p. 98, 13. 107, 30, condignus p. 68, 13, inconvulsus p. 72, 9, purgatorius p. 83, 18, angelicus p. 88, 34, praesentarius p. 112, 18. 113, 2, cuius adverbium praesentarie praeter Boethium p. 88, 28 nemo usurpasse videtur. Accedit comparativus diuturnior p. 82, 4. 83, 25. nec non adverbia perspicaciter p. 54, 2, perspicacius m. III, 11, 8, veraciter p. 56, 26, indubitato p. 65, 24, aliorsum (sequente atque) p. 102, 24, forinsecus p. 109, 2. Ex verbis enotavi vilescere p. 48, 23. III, 8 p. 52, 8, contraire p. 68, 11, fuscare p. 11, 27: „quam (dignitatem) uti alicuius sceleris admixtione fuscarent“, ad quem locum Sitzmannus Juretum adire iussit in Symm. ep. IX, 52, qui liber mihi ad manus non est, et p. 79, 15: „est igitur praemium bonorum, quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius fuscet improbitas, deos fieri“, — denique sequestratus i. e. separatus, seiunctus p. 31, 7. 43, 30.

Aliud vocabulorum genus illud est, quorum intermortuam paene memoriam, cum apud scriptores rarissime inveniantur, ut vix unum alterumve eorum exemplum suppeditent latinae linguae thesauri, Boethius restauravit, quo spectant Ciceroniana praenotio p. 105, 17, infinitas p. 112, 7, mutabilitas p. 23, 1. 53, 12. praeterea vernalis ibidem, quod semel Manilius usurpavit, aliaque nonnulla, quae miro casu Boethio cum Plinio communia sunt, ut emarcescere p. 96, 11, instabilitas p. 28, 7, superfluitas p. 31, 16, comparativus vicinius p. 89, 19, denique substantivum intuitus, quod Boethius non solum sexto casu, ut Plinius et Sidonius ep. IV, 7. 12, sed etiam primo haud raro admisit, velut p. 100, 17. Quamquam quis Plinium a Boethio viro variae doctrinae studioso lectitatum esse negare ausit?

Habet etiam propria quaedam vocabula Boethius, quae quia apud alios scriptores nondum comparuerunt, fortasse ipse novavit. Quorum e numero satis placet herbipotens manus de Circe dictum m. IV, 3, 9 et frondiflua bruma m. I, 5, 14 — displicent alia, quae a formatione eorum, quae supra commemoravi, parum absunt, ut praevidentia p. 113, 10: „unde non praevidentia, sed providentia potius dicitur, quod porro a rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat“ — praecognitio p. 105, 29, expetibilis p. 33, 13 quod olim

etiam apud Tacitum Ann. XVI, 21 legebatur, imaginabilis p. 107, 34. 110, 1, astrologicus p. 36, 10, quod neque in Forcellinii neque Klotzii thesauro commemoratum inveni, adverbium formaliter, quod tamen adiecto ut ita dicam usurpavit p. 107, 32, comparativus enervatius p. 76, 7, superlativus dispositissimus p. 72, 7, impermixtus pro immixtus p. 102, 29, et quae paene barbare dicta sunt e converso pro e contrario, contra, p. 102, 2 et positionis gratia p. 105, 20.

Sed totum hoc quod est de elocutione Boethii caput accurate pertractare nunc quidem non est propositum, itaque transeo ad quorundam locorum emendationem. Quamquam enim Boethii oratio barbarismis et soloecismis non prorsus libera est, tamen nonnulla in eius editionibus etiamnunc leguntur, quae ita ab homine Romano scribi non potuisse apertum est. Neque hoc aliter esse potest in scriptore, cuius verba nondum ad praestantium librorum fidem exhibita sunt, et certo scripturae fundamento adhuc carent. Nam sane laudanda est Obbarii opera, quam a 1843 in recensendo consolationis textu „ad optimorum librorum manu scriptorum nondum collatorum fidem“ navavit, inprimis eam ob causam, quod primus recto iudicio usus codices vetustos ab recentioribus temere interpolatis segregandos esse vidit, quorum magnus numerus, sed ad criticum usum ne tantillum quidem est pretium: verum codices isti, quos optimos et vetustissimos vocavit et pro fundamento scripturae esse voluit, sunt libri in Germania exarati, qui omnes ex archetypo aliquo fluxerunt corruptelis non vacuo, Gothanus Jacobsio auctore sub finem saeculi X, Jenensis et Lipsiensis saeculo XIII, Erlangensis denique, cuius accuratam notitiam non habuit, sed qui ipsi saeculo XI scriptus videtur. Contra Parisinorum codicum nullas habuit collationes, neque alia ex iis attulit, quam quae Vallinus inde commemoraverat. Itaque videmus apparatum criticum, quo usus sit in recensendo scriptore Obbarius, admodum exilem esse. Atque in Haenelii catalogo quinque recensentur consolationis codices saeculo X et IX exarati. Sed videamus singula. Ac primum quidem minime ferri possunt, quae p. 14 leguntur, ubi scriptor post egregium carmen in cuius fine deum precatur, ut miseras terras respiciat, in quibus homines fortunae salo quatiantur, ita pergit: „haec ubi continuato dolore delatravi.“ Haec enim translatio inepta est et sordida, Boethio certe indigna. Accedit quod verbum delatrare vel dilatrare inauditum est, nam quod olim eius afferebatur exemplum ex Gellii N. A. I, 2 huius scriptoris verbis meliorum codicum ope emendatis dudum evanuit. In Boethio autem pro delatravi, coniecerunt viri docti deblateravi et declaravi, verum si quid video, rescribendum est d e l a c r i m a v i, quod scilicet in archetypo per compendium scriptum fuit „delacravi“. Pergit philosophia: „cum te maestum lacrimantemque vidissem“.

Inprimis autem carmina Boethii admodum corrupta sunt. Manifestum glossema invenisse mihi videor m. I, 2, 20: „quis dedit, ut pleno fertilis anno autumnus gravidis influat uvis“. Nam pendet oratio a verbis: „hic quondam — quin etiam causas rimari solitus“, itaque rationes syntacticae flagitant coniunctivum, et cum praecedant membra „unde - sollicitent, quis volvat, cur - surgat, quis - temperet“, non potuit scriptor tam pueriliter peccare, quidquid aliis locis contra legitimum modorum usum sibi concessit. Scripsit igitur: quis d u i t. glossema genuinam scripturam expulit. Neque aliter res se habet in sequente carmine I, 3, 3: „ut cum praecipiti glomerantur sidera Coro“. Nam immobilia sidera glomerari non posse tempestate apertum est. scriptum erat: „glomerantur n u b i l a Coro“. atque nubila abiit in lumina, cui sidera superscripsit

glossator. — Carmine II, 12, 26 de Orpheo infernas domos adeunte haec dixit: „illic blanda sonantibus | chordis carmina temperans | quidquid praecipuis deae | matris fontibus hauserat | quod luctus dabat impotens | quod luctum geminans amor | deflet, Taenara commovens | et dulci veniam prece | umbrarum dominos rogat". At Taenarum promunturium non potest plurali numero proferri, neque Orpheus coram umbrarum dominis constitutus in medio orco Taenarum commovit, ubi descensus erat ad inferos. Legendum est *Tartara* commovens, ut paullo infra dixit: „ne, dum Tartara liquerit, fas sit lumina flectere". ac priore quidem loco praestantiores libri consentiunt in scriptura Trenera, verum etiam altero loco in codice Martisburgensi, de quo infra plura dicentur, scriptum est Trenera, superscripto tartara a secunda manu.

Redeo ad prosam. Libro quinto p. 116, 3 legimus: „manet etiam spectator desuper cunctorum praescius deus, visionisque eius praesens semper aeternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis praemia, malis supplicia dispensans". Scribendum est *sempiternitas*, quod vocabulum Boethii aequales aliquotiens adhibuerunt. Frustra enim Sitzmannus laudato Jureto in Symm. ep. III, 18 ad Terentianum illud „heri semper lenitas" provocavit, Andr. 175. Neque ferenda est mira sermonis abundantia p. 26, 12: „vivit uxor ingenio modesta, pudicitiae pudore praecellens". nam quid hoc est pudicitiae pudor? aliquando putabam legendum esse „pudicitia *et* pudore", verum pudicitiae tollendum videtur utpote ortum ex dittographia sequentis vocabuli. Cf. p. 24, 12: „quis non te felicissimum cum tanto splendore socerorum, cum coniugis pudore — praedicavit?" — Alii loci una litterula vel immutata vel addita vel dempta emendari possunt. Veluti p. 49, 15: „expertus suae sortis periculorum tyrannus, regni metus pendentis supra verticem gladii terrore simulavit", ubi pluralis metus sententiae concinnitatem evertit. l. *metum*. Una littera tollenda est p. 108, 9: „nam cum omne iudicium iudicantis actus existat, necesse est, ut suam quisque operam non ex aliena, sed ex propria potestate perficiat" l. *actu*. Una littera, si vulgatam sequimur scripturam, mutanda est p. 3, 13: „at ego cuius acies lacrimis mersa caligarat, ne dinoscere possem, quaenam haec esset mulier tam imperiosae auctoritatis, obstupui." ibi pro caligarat in uno codice est caligaret, in duobus caligaverat, quod in textum recepit Obbarius, sed legendum videtur *caligabat*, nam plusquamperfecti usus ab ipsa sententia mihi alienus videtur. Pro *ne* dicendum erat *ut non*, sed cf. Liv. V, 32, 4: eius belli fama effecit, ne se pugnae committerent Salpinates, et Vellej. II, 12, 5: hac victoria videtur meruisse Marius, ne eius nati rem publicam poeniteret. Potest etiam ille soloecismus, quem p. 16, 7 admissum legimus: „atqui, inquam, nullo existimaverim modo, ut fortuita temeritate tam certa moveantur", aliorum scriptorum exemplis excusari, v. Benecke in Iust. I, 5, 8. Ferri potest „inter utrasque litteras" p. 2, 19, ubi de duabus tantum litteris sermo est in veste philosophiae intextis, v. Zumpt. ad Cic. Verr. p. 561, Kritz. ad Sall. Cat. 30, 4, et ne illud quidem sine exemplo est, quod p. 49, 30 de Seneca et Papiniano dixit: „atqui uterque potentiae suae renuntiare voluerant". Sed omnium maxime me advertit barbara forma *fluiturus*, p. 89, 35: „hic vero ordo res mutabiles et alioquin temere fluituras propria incommutabilitate coerceat", ubi haud scio an *flucturas* scribendum sit, quam formam „vetustissimis" usitatam agnoscit Priscianus IX p. 871.

Supra dixi de codicibus ab Obbario ad criticum usum adhibitis. A quorum bonitate parum alius abest, quem ego aliquot annis abhinc meum in usum contuli, asservatus in bibliotheca reverendi capituli ecclesiae cathedralis Martisburgicae. Est codex membranaceus, LXXXII foliorum, quorum singulae paginae XXII ad XXV versus continent, forma octonaria, saeculo XIV, fortasse XIII pulcre quidem sed per multa litterarum compendia scriptus ab homine Germano Henrico Hoppfen, cuius nomen in subscriptione libri tertii legimus. Descriptus videtur ex libro aliquo Italo, nam habet michi, nichil, e pro ae, i pro y, siquidem his indiciis re vera aliquid tribuendum est. Secunda manus, h. e. prima manus alio tempore, multa tam in margine quam intra singulos versus adscripsit glossemata, futilia pleraque, velut initio primi libri carmina superscriptum habet nobilia dicta, quondam] in iuventute, peregi] perfeci, flebilis] flebibilis, mestos] puncto posito infra o superscriptum habet u, cogor] artor, inire] cantare, modos] metra rell. Verum ex postremis foliis libri quinti, quin nonnulla ab alio homine scripta sint minus pulcre et accurate, dubitari non potest. Eius operam prima manus retractavit et emendavit. Liber primus mansit sine inscriptione, et ne littera quidem initialis a rubricatore picta est. In verbis Boethii metra a prosis non seiuncta sunt, at in imo margine scriptus est numerus libri et prosae. Graeca ubique scripta sunt, verum non Graecis litteris, sed partim Latinis, partim novis et barbaris ad similitudinem Graecorum excogitatis, fere eadem ratione, quam in codice Regimontano Lactantii observatam accurate descripsit Struvius in Opusculis T. I p. 49 sqq. Libros de consolatione philosophiae excipit exilis tractatus de praedestinatione et libero arbitrio, nec non commentariolum de metris Boethii pessime corruptum, cuius hoc est initium:

> Quinque libros philosophice consolationis auctor insignis Boethius XXVIIte varietatibus carminum respersit, ut hoc opus gratius hiis fieret qui musice suavitatis dulcedinem contigissent. Primum itaque genus metri elegiacum est. quod constat primo versu heroyco. Secundo primo pentametri heroyca secunda dactilica. pentimemeris autem post duos pedes silla de verbo manens. Usus autem est hoc duobus locis. carmina qui quondam et: rupis a. s. v. pectoribus.

Etiam in codice Gothano tractatus aliquis de metris Boethii legitur, verum qualis is esset, Obbarius non indicavit. Martisburgensem si quis emendare velit, habebit tractatum a Pulmaniano, qualem editio Lugduno-Batava a. 1671 exhibet, parum diversum. Ad orthographiam quod attinet, semper scriptum est quotiens, totiens, iocundus, causa, milia, paulo, paulisper, intelligere, plerumque harena, coherceo, interdum etiam habundare, choruscus, thorus aliaque id genus, nec non capud, periclum. Semper sumptus, interemptus, interdum alumpnus. Accusativi numeri pluralis in tertia declinatione semper exeunt in es. Praepositiones in compositione assimilatae sunt, ut ammirari, astitisse, fere semper tamen excepta praepositione con. In involucro codicis recentissima manus adnotavit eo usum esse C. Barthium, uti ex eius Adversariis et ex adnotatione in Claud. p. 147 ed. pr. colligi possit. Quod num recte adnotatum sit, in praesentia diiudicare non possum, cum uterque Barthii liber mihi non ad manus sit, Obbarius autem Barthium Helmstadiensibus codicibus usum esse contendat. De libri praestantia ut lectores iudicium ferre possint, infra scripsi varietatem lectionis ad priores paginas editionis Jenensis enotatam, omissis rebus orthographicis, de quibus supra dixi:

P. 2, 2: designarem 5: valentiam hominum 14: confecte 18: p grecum-theta 19: in utrasque 22: manus sciderant 25: videt 26: fletibus. — p. 3, 2: spinis affectuum 5: vobis 9: Syrene 13: caligarat 14: esset hec. — M. II, 4: acta 18: quid. — p. 4, 1: m. potius i. t. e. quam q. 5: prius. — p. 5, 3: inundantes. — M. III, 4: nimbosusque. — p. 5, 2: faciem medicantis 7: superno 9: o alumne te 10: nominis sustulisti ob invidiam. — p. 6, 4: sepe certamen 22: quod admireris 25: est numerosus 31: queque rerum. — M. IV, 2: egit 6: exagitantis 11: seuos v. 17 praecedit v. 16.

Verum haec sufficiant. Nam vel ex hoc parvo specimine apparere arbitror, hunc codicem non omnino quidem liberum esse recentiorum corruptelis atque interpolationibus, at in plerisque optime consentire cum quattuor illis libris, quos Obbarius praestantissimos esse significavit, et quaedam propria habere ac singularia, quae unice recta esse statim intellegitur. Unde sequitur, donec meliora reperta sint subsidia in Francogalliae vel Italiae bibliothecis, quam quae adhuc ad virorum doctorum pervenerunt notitiam, hunc quoque Martisburgensem codicem dignissimum esse, qui a futuro consolationis editore accurate examinetur. In eadem bibliotheca extat etiam chartaceus consolationis codex, foliis quaternis LXIII, cum reliquiis trium foliorum, XXIV ad XXVI versuum in quavis pagina, saeculo XV, fortasse XIV exaratus. Verum is ex priore non est descriptus, immo ex pessimo aliquo fonte manavit et propter foedissimas corruptelas et interpolationes ad criticum usum nullius est pretii. Eas lectiones, quas Obbarius p. 47, 70 ex codice Martisburgensi apud Cortium ad Lucan. I, 126. VII, 828 protulit, ego in neutro codice inveni, quae p. 34. 45. 56. 111 ex eodem fonte prolata sunt, extant in codice antiquiore.

